

ipsius in eo manet; et infra subdit: In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.

10. Ad fundamentum autem Gabriëlis respondetur, reprobum non esse ordinatum ad hæreditatem per voluntatem absolutam, qua illum Deus elegerit ad gloriam, sed per voluntatem antecedentem dandi gloriam, cum qua conjuncta fuit voluntas efficax dandi gratiam, et jus ad gloriam pro aliquo tempore; nam hoc est satis ut pro illo sit filius et hæres. Quia revera, si in eo statu decederet, re ipsa consequeretur hæreditatem, juxta illud 2 ad Timot. 2, ubi, postquam Paul. de prædestinatis et reprobis, et de vasis aureis et fictilibus locutus est, concludit: *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino; et ideo, 1 ad Cor. 10, admonet justum, dicens: Qui stat, videat ne cadat; et Apocal. 3: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* E contrario vero, licet prædestinatus sit electus, et præordinatus ad gloriam per absolutam Dei voluntatem, tamen non est vere filius, donec effectum illius voluntatis recipiat, saltem quoad justificantem gratiam; sicut non dicitur esse creatura, donec actu creetur, quamvis ab æterno habuerit Deus voluntatem creandi illam.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus¹.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus. Dicit enim Hilarius², de Christo loquens: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur. Ergo Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.*

2. Præterea Augustinus dicit, in lib. de Prædestinat. Sanctorum³, quod ea gratia fit ab initio fidei homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Sed alii homines sunt Christiani per gratiam adoptionis. Ergo et ille homo est Christus per adoptionem, et ita videtur esse filius adoptivus.

¹ Infra, d. 32, art. 3, et q. 43, art. 1, corp.; et 3, d. 10, q. 2, art. 2, q. 3; et 4 cont., c. 4; et Verit., q. 29, art. 2, ad 1.

² Lib. 2 de Trinitat., a med.

³ Cap. 15, ante med.

3. Præterea, Christus, secundum quod homo, est servus. Sed dignius est esse filium adoptivum, quam servum. Ergo multo magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in libro de Incarnat.¹: *Adoptivum filium non dicimus filium esse natura, sed cum dicimus natura esse filium, qui verus est filius. Christus autem est verus et naturalis Dei Filius, secundum illud 1 Joan. ult.: Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo: ergo secundum quod homo, non est filius adoptivus.*

Respondeo dicendum, quod filiatio proprie convenit hypostasi vel personæ, non autem naturæ; unde et in prima parte dictum est², quod filiatio est proprietatis personalis. In Christo autem non est alia persona vel hypostasis, quam increata, cui convenit esse Filium per naturam. Dictum est autem supra³, quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici participative, quod per se dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus. Secundum autem illos, qui ponunt in Christo duas personas, vel duas hypostases, seu duo supposita, nihil rationabiliter prohiberet Christum hominem dici filium adoptivum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut filiatio non proprie convenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo cum dicitur, quod carnis humanitas adoptatur, impropria est locutio. Et accipitur ibi adoptatio pro unione humane nature ad personam Filii.

Ad secundum dicendum, quod similitudo illa Augustini est intelligenda quantum ad principium; quia, scilicet, sicut sine meritis quilibet homo habet ut sit Christianus, ita iste homo sine meritis habuit ut esset Christus. Est tamen differentia quantum ad terminum, quia, scilicet, Christus per gratiam unionis est Filius naturalis, alius autem per gratiam habituales est filius adoptivus. Gratia autem habitualis in Christo non facit de non filio filium adoptivum, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud Joan. 1: *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.*

Ad tertium dicendum, quod esse creaturam, et etiam servitum vel subjectio ad Deum, non

¹ Cap. 8, in fin.

² Q. 33, art. 2 et 3.

³ Art. præc.

solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione. Et ideo non est similis ratio.

COMMENTARIUS.

Responsio D. Thom. est, cum Christus sit Filius Dei naturalis, nullo modo dici posse filium adoptivum. Quæ assertio, et ratio qua D. Thom. illam probat, difficultatem habent, quæ prolixiori expositione indiget, quam sequenti disputatione trademus.

DISPUTATIO XLIX,

In duas sectiones distributa.

DE FILIATIONE CHRISTI IN ORDINE AD DEUM.

Quod Christus Dominus, ut est Verbum Patris, sit Filius Dei naturalis, ut articulum fidei supponimus, contra Arianos hæreticos. Unde sequitur contra Nestor. et alios, qui duas personas in Christo posuerunt, absolute et simpliciter Christum hominem esse Filium Dei naturalem per communicationem idiomatum, juxta illud 1 Joan. 5: *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus.* Et idem colligit Adrianus Papa, in Epist. ad Episcop. Hispan., et Concilium Francof., ex variis locis Scripturæ, in quibus Christus dicitur proprius Filius Dei, Matth. 16: *Tu es Christus Filius Dei vivi; Luc. 1: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; et ad Rom. 8: Proprio Filio suo non pepercit.* Et ideo notant, Christum singulariter loqui de Patre suo, Joan. 5: *Pater meus usque modo operatur; Joan. 10: Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est. Joan. 17: Pater, clarifica Filium tuum. Joan. 20: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, hac distinctione indicans, aliter esse Patrem suum, aliter nostrum. Unde etiam advertunt nunquam communi affectu dixisse nobiscum: *Pater noster*, sed, *Pater vester*, vel *Pater meus*, ut patet Matth. 5, 6 et 7. Denique ad hoc probandum congerunt varia Sanctorum testimonia, quæ non oportet referre, quia, suppositis quæ de una persona Christi, et de communicatione idiomatum dicta sunt, nulla in hoc est difficultas. His ergo suppositis, duo in hac disputatione examinanda supersunt. Primum, an filiatio divina conveniat Christo homini, non solum per*

communicationem idiomatum, sed etiam formaliter in quantum homo est; et deinde qualis sit ista filiatio.

SECTIO I.

An Christus, in quantum homo, vere ac proprie possit dici Filius Dei.

1. Ratio dubii est primo, quia Christus, in quantum homo, non est Deus, ut supra, q. 16, dictum est; ergo in quantum homo non est Filius Dei, quia Filius Dei est Deus. Secundo, quia, si in quantum homo, est Filius Dei, ergo in quantum homo habet relationem filiationis ad Deum; sed omnis relatio, quam Christus in quantum homo habet ad Deum, refertur ad totam Trinitatem; ergo Christus in quantum homo erit Filius totius Trinitatis; atque adeo Spiritus Sancti et Verbi, quod est absurdissimum. Minor probatur, quia Christus in quantum homo est effectus totius Trinitatis. Tertio, quia Christus in quantum homo non est Filius Dei naturalis, quia non procedit a Patre per æternam generationem in quantum homo. Neque est filius adoptivus, quia non est persona extranea; ergo non est Filius.

2. Propter hæc argumenta nonnulli existimant, licet certum ac de fide sit, dicere Christum, simpliciter et absolute loquendo, esse Filium Dei, tamen cum illa determinatione, *in quantum homo*, id non posse vere affirmari. Sed hæc sententia est sine dubio falsa. Unde ad explicandam veritatem, advertendum est primum, filiationem ad Deum variis modis accipi posse: primo propriissime pro filiatione naturali ac personali, qua constituitur secunda persona Trinitatis; certum autem est, Christum, ut hominem, non referri ad Deum hac filiatione. Secundo, impropriissime et valde analogice pro relatione creaturæ ad Deum, prout dicitur Deus pluriæ pater; et de hac etiam non agimus; quomodo enim Christus ut homo sit creatura, supra explicatum est. Tertio, pro filiatione fundata in gratia habituali, quæ in puris hominibus est filiatio adoptiva. Quarto, pro filiatione, si quæ esse potest, fundata in gratia unionis, et de his duabus hoc loco disputamus, et præsertim de ultima. Secundo est advertendum, illam particulam, *in quantum*, posse reduplicative et specificative teneri, hic autem non sumi priori modo, tum quia certum est humanitatem non esse rationem et causam ob quam Christus est Filius Dei, quia ex reduplicativa pro-

positione licet universalem inferre; consequens autem falsum esse constat, quia non agimus de filio Dei sub ea latissima et metaphorica significatione, qua omnis creatura, et præsertim rationalis, potest dici filius Dei; sed agimus de altiori filiatione divina, quæ includit communicationem ejusdem beatitudinis, et divinæ hæreditatis. Sumitur ergo illud, *in quantum*, specificative, ut sensus sit, an Christus in humanitate subsistens habeat in humanitate ipsa habitudinem aliquam, seu relationem Filii ad Deum.

3. Dico ergo primo: Christus, in quantum homo, est Filius Dei. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma et auctoribus citandis conclusione sequenti. Et primo colligi potest ex Adriano Papa et Concilio Francof., locis citatis; ex professo enim probare videntur Christum, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem esse Filium Dei naturalem; ergo multo magis docebunt esse Filium Dei. Unde Adrianus, ponderans verbum illud ad Rom. 8: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, inquit: *Scimus quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod verus homo erat; illum, nimirum, qui traditus est, hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur; et inferius, exponens similiter illud Matth. 3, et 17: Hic est filius meus dilectus, inquit: Super quem descendit Spiritus Sanctus in specia columbæ, super Deum, an super hominem? et infra: Secundum id, quod homo est, Spiritum Sanctum super se venientem suscepit; de eo ergo hominis filio, super quem Spiritus Sanctus descendit, licet unus sit Dei et hominis Filius, vox Patris intonuit, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Si secundum divinitatem dixisset, nequaquam diceret: In quo mihi bene complacui, sed tantummodo: In quo mihi bene placui; dum ergo dicit: Complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas. Animadvertite, quia nihil vobis restat, ut secundum divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem: Hic est Filius meus dilectus, sed potius secundum humanitatem, super quem Spiritus Sanctus dicitur descendisse. Alia multa similia habentur, tam in illa epistola, quam in alia totius Concilii. Sed hæc omnia, ut verum fatear, non admodum cogunt, quia, ut infra, sect. 3, ostendam, fere in omnibus similibus locutionibus hujus Concilii, illa particula, *in quantum homo*, seu, *secundum huma-**

nitatem, non designat formaliter naturam humanam, seu personam humanam, ut sic, sed solum suppositum Verbi sub natura humana subsistens, ita ut sensus solum sit, illud ipsum suppositum in natura humana subsistens esse Filium Dei naturalem, et neque esse aliud suppositum illius humanæ naturæ, præter Filium Dei naturalem, neque suppositum illud desiisse esse Filium Dei naturalem, propter unionem cum humana natura. Denique intendunt, hunc hominem Christum non denominatione tantum, sed vere ac proprie esse Filium Dei naturalem, quo sensu dixit divus Thomas supra, q. 16, a. 11, hanc locutionem esse veram: *Christus, secundum quod homo, est Deus*. Et eodem modo certum est Christum, in quantum hominem, esse Filium Dei per essentiam et naturalem. Propter hanc ergo expositionem non sumitur ab his testimoniis argumentum efficax; potest tamen sumi probabile, vel quia alius sensus probabilis est, vel quia multa, saltem obiter, dicuntur in illo Concilio, quibus hoc ipsum indicatur, ut in sequentibus videbimus latius. Secundo probari potest conclusio, quia in Scriptura sacra, unio hypostatica dici solet generatio, et Christus ut homo dicitur singulariter a Deo genitus; ergo ut homo est specialiter a Deo Filius. Patet consequentia, quia generationi respondet filiatio in rebus viventibus et perfectis. Antecedens patet ex illo: *Generationem ejus quis enarrabit?* Isaia 53, quod, licet aliis modis exponi possit, tamen de mysterio incarnationis exponitur a multis Patribus, ut citavi supra, disp. 3, sect. 1. Similiter facit illud Psalm. 2: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod licet alios etiam sensus habeat, tamen de hoc mysterio intelligitur ab August., lib. de Trinit. et unit. Dei, c. 11, et aliis, quos sequenti tomo referam, disp. 45, sect. 1. Hinc Christus, ut homo loquens, Deum singulari modo appellat Patrem suum, Joan. 20: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*. Ubi, licet de Patre proprie, id est, de prima persona Trinitatis loquatur, ut aperte exponit Adrianus, dicta epist.; et Cyrillus, cum Concilio Alexand., ep. 10; et Athanasius, lib. de Incarn. Christi; et Damascen., lib. 4 de Fid., c. 8; nihilominus et Christus homo est qui loquitur, et ut homo loqui videtur, ut verbum, *ascendo*, et relativum, *meum*, satis indicare videntur. Denique facit quod sæpe Patres dicunt: *Christum ut Deum, esse Unigenitum Dei, ut hominem vero esse primogenitum,*

in multis fratribus, ut dicitur ad Rom. 8, seu *primogenitum omnis creaturæ*, ut dicitur ad Coloss. 1, et exponitur in Concilio Sardicensi, in epist. ad omnes fideles; et Hieronymo et Anselmo ibi; et optime a Cyril. Alexand., lib. de Fide ad Theodosium, et lib. 1 de Fide ad Regin., in ostensione quod Christus sit Deus, ex Epist. ad Hebræos. Ubi de Christo ut homine interpretari videtur illud ad Hebr. 1: *Locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum*. Hoc enim proprie in Christum ut hominem convenire videtur, quia ut Deus non constituitur hæres, sed natura sua est Dominus omnium simul cum Patre. Et hinc tertio formatur ratio, quia Christus, in quantum homo, seu in humanitate sua, est particeps divinæ beatitudinis seu hæreditatis; ergo in ipsa humanitate habet jus ad hæreditatem illam; ergo secundum illam humanitatem est filius multo perfectior et excellentior quam alii. Et confirmatur, quia homines justi vocantur filii Dei et hæredes; ergo multo magis Christus, etiam ut homo, nam ipse est primarius hæres, alii vero ejus cohæredes, ut ad Rom. 8 dicitur.

4. Unde tandem confirmatur, quia si gratia accidentaliter homines constituit filios, cur non magis gratia unionis constituet Christum, ut hominem, Dei Filium? Ubi optime accommodantur illa ejusdem Domini verba, Joan. 10: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemias, quia dixi: Filius Dei sum*. Illa enim verba de sanctificatione Christi ut hominis, per unionem humanitatis ad Verbum intelligunt Athanas., Chrys., Hilar., quos ibi refert Cardinalis Toletus. Ergo ratione illius sanctificationis vere dicitur Filius, etiam ut homo.

5. *Christus ut homo est Filius Dei ratione unionis hypostaticæ*. — Ex his infero, et dico secundo: proprium fundamentum hujus relationis, seu filiationis divinæ, quæ convenit Christo ut homini, est ipsa gratia unionis. Hanc conclusionem colligo ex D. Thom., in hoc art. 4, ad secundum, et ex Magist. et Bonavent., et aliis Doctoribus, 3, dist. 10; eique favent Adrianus Papa, et Concil. Francoford., locis citatis. Et ratione probatur, ex iis quæ supra, q. 7, de sanctificatione Christi per gratiam unionis dicta sunt. Sicut enim ille homo, etiam in quantum homo, id est, in humanitate ipsa, est sanctus, et summe gratus Deo, ita ex vi ejusdem unionis habet jus proprium et intrinsicum ad divinam hæredi-

tatem in ipsa humanitate suscipiendam; ergo ex vi illius est etiam Filius Dei. Et ex solutionibus argumentorum hæc veritas magis explicabitur, et confirmabitur.

6. *Objectio*. — *Responsio*. — Objici tamen potest, quia gratia unionis non potest esse fundamentum alicujus relationis realis; sed relatio filiationis divinæ, oportet ut sit realis, ut supra dictum est de filiatione adoptiva, et magis verum esse oportet de filiatione naturali. Respondetur, hanc relationem filiationis fundatam in gratia unionis non esse realem, sed rationis (ut argumentum recte probat); hæc enim filiatio, cum conveniat Christo homini, in quantum homo est, seu in humanitate ipsa, temporalis est, conveniens Christo, solum ex eo tempore ex quo homo est; illius autem fundamentum est persona Verbi hypostatice unita humanitati, et formaliter illam sanctificans, et præbens huic homini, ut sic, jus ad divinam beatitudinem; et ideo non potest esse relatio realis, quia relatio immediate recipitur in proximo fundamento; at vero persona divina non est capax relationis realis, adventitiæ et temporalis. Unde sicut esse sanctum et gratum per gratiam unionis, non addit humanitati physicam entitatem præter ipsam personam divinam unitam, sed moralem dignitatem, ita etiam esse Filium Dei hoc modo, non addit realem entitatem, seu relationem præter gratiam unionis, sed explicat illammet dignitatem sub alia relatione rationis, quæ explicat jus quod ille homo habet ex vi unionis ad æternam beatitudinem, ratione cujus vere dicitur esse debita et conaturalis illi.

7. *Objectio*. — *Responsio*. — Sed inferet aliquis, hac ratione ipsam humanitatem posse dici filiam Dei, sicut potest dici grata, aut beata, aut sancta; et fortasse non deerunt, qui cum Scoto sentiant hoc non esse inconveniens. Verius tamen negatur sequela, juxta communem modum loquendi philosophorum, quem observare oportet; relatio enim filiationis non denominat naturam, sed suppositum, quod est ultimus generationis terminus; unde, sicut operationes tribuuntur supposito, et non naturæ, quamvis per naturam, seu in natura conveniant supposito, ita etiam esse hæredem, seu habere jus ad hæreditatem, est propria denominatio suppositi, non naturæ, et idem est de relatione filii. Item, quia per unionem non fuit producta humanitas, sed assumpta; productus autem fuit Christus ut homo; est autem filius qui producitur,

non vero natura, quæ assumitur, seu unitur.

8. *Dubium.*—Sed quæres tandem an ratione gratiæ habitualis possit etiam dici Christus, in quantum homo, filius Dei. Videtur enim ex dictis sequi ita esse affirmandum, tum quia, licet Christus fuerit sanctificatus per gratiam unionis, tamen etiam per habituales habuit veram sanctificationem et proportionem et jus ad supernaturalem hæreditatem et beatitudinem; ergo etiam ratione gratiæ habitualis potest dici filius Dei, non minus, quam alii justii; tum etiam quia secundum eam gratiam fuit suo modo spiritaliter genitus, sicut sunt alii Sancti; ergo ad eam generationem consecuta est filiationis relatio. Unde, sicut Christus ut homo dicitur filius Virginis, propter humanam generationem ex illa, ita dici poterit filius Dei, propter spiritualem generationem ex illo per gratiam habituales. Aliunde vero obstare videtur, quia hoc videtur aliquo modo sapere errorem Nestorii, qui dicebat Christum esse filium per gratiam accidentalem. Sed hoc argumentum parvi momenti est, quia Nestorius non tam errabat in asserenda filiatione per gratiam habituales, quam negando veram gratiam unionis, et filiationem naturalem. Difficiliora videntur quæ in principio proposita sunt, sed illa etiam statim dissolventur.

9. *Responsio.*—*Christus ut homo non dicitur proprie filius Dei ratione gratiæ habitualis.*—Nihilominus tamen dicendum est, hic posse esse quæstionem de re, vel de denominatione et modo loquendi. Quoad rem, existimo animam Christi accepisse gratiam habituales per actionem propriam distinctam ab actione unionis et ejusdem rationis cum actione, qua gratia producit in quacunque anima vel Angelo; quia terminus est ejusdem rationis, et modus productionis similiter. Nam, licet dicatur illa gratia habitualis debita Christo ratione unionis, tamen physice non manavit, seu resultavit ex ipsa personalitate Verbi unita humanitati, quæ per se et ut sic activa non est, sed per propriam actionem fuit effecta, ut supra, q. 7, late probatum est. Illud autem debitum tantum est quoddam morale jus, quatenus consentaneum est, et naturæ rei proportionatum, ut habenti priorem gratiam, scilicet unionis, posterior, seu habitualis conferatur. Et hinc fit, ex hac actione, qua producta fuit gratia habitualis in Christi anima, resultasse in Christo ut homine relationem ad Deum fundatam in ipsa gratia, quæ sit velut relatio effectus ad causam ejus-

dem rationis cum relatione ad Deum, quæ resultat in homine justo ex vi illius actionis, per quam justus fit. Nam, sicut gratia habitualis in Christo et in nobis est ejusdem rationis, ita et hæc actio, et relatio quæ per illam resultat. Neque enim huic relationi obstare potest personalitas increata, quia licet de relatione resultante ex humana Christi generatione substantiali, adhuc sub judice sit, an possit esse realis, necne, propter incapacitatem personæ, tamen de relationibus quæ consequuntur actiones, passiones, aut formas accidentales, nemo unquam dubitavit quin potuerint in Christo esse reales, si in aliis hominibus tales sunt; quia hæc non attingunt ipsum suppositum substantiale secundum se, sed tantum mediante natura, sicut et alia accidentia in quibus ipsæ fundantur. Unde non videtur dubium, quin relatio similitudinis fundata in albedine fuerit realis in Christo, sicut in aliis hominibus; et similiter relatio patientis, cum patiebatur vel calefiebat, etc.; ergo idem erit de relatione fundata in gratia habituali, quæ res apertius constabit sectione sequenti, explicando rationem D. Thom. Adde tamen nihilominus, quamvis hæc relatio in aliis hominibus habeat rationem filiationis, tamen in Christo non proprie recipere hanc denominationem, et ideo non proprie posse dici Christum, ut hominem, filium Dei ratione gratiæ habitualis, sed unionis tantum. Ratio hujus est, quia filiatio proprie significat relationem resultantem ex aliqua actione, qua per se primo producitur is, qui filius nominatur, vel ex non filio efficitur; sic enim inter homines filiatio naturalis consequitur physicam generationem, qua per se primo filius producitur; filiatio autem adoptiva consequitur actionem moralem, qua adoptatur in filium is, qui filius nominatur. At vero gratia habitualis Christi et supponit illum esse Filium Dei per gratiam unionis, et licet physice fiat per propriam actionem, tamen, cum illa gratia collata sit ratione gratiæ unionis, non censetur per se primo fieri, sed veluti consequi aliam formam, et ideo relatio inde resultans non potest proprie filiatio nominari.

10. *Responsio ad argumenta.*—*Christus in quantum homo quomodo sit Filius Dei.*—Ad argumenta in principio posita, ad primum respondetur, ex supra dictis, verum esse Christum, ut hominem, non posse dici Filium Dei proprie per essentiam et æternam generationem, sicut est Filius Dei in quantum est Deus, sumendo proprie, formaliter et specificative

particulam illam, *in quantum*, ut supra explicatum est, et docuerunt expresse D. Thom. et Cajet., quæst. sequenti, art. 2, ad 1; et facile convinci potest, quia Christus, ut Deus, est Filius naturalis per æternam generationem, et naturæ æqualitatem et identitatem; at vero ut homo non habet hanc æqualitatem cum Patre, sed est minor illo, neque ut homo procedit a Patre per æternam generationem. Præterea Christus, ut Deus, fruatur beatitudine per essentiam, non tamen ut homo, quia ut sic non videt Deum per increatam visionem, sed illius participationem creatam suscipit. Denique argumentum factum hoc vincit, quia Christus ut homo non est Deus; ergo neque Filius Dei in hoc sensu. Nihilominus tamen alia ratione dicimus, Christum ut hominem esse Filium Dei per gratiam unionis, quia per illam effectum est ut ipsa humanitas vere ac proprie sit substantialis natura ipsius Filii Dei naturalis, atque adeo ut huic homini debeatur etiam in sua humanitate divina hæreditas et beatitudo, et consequenter ut etiam in quantum homo, sit filius et hæres. Hæc ergo relatio distincta est a relatione filiationis æternæ, distinctamque habet rationem fundandi, scilicet gratiam unionis, distinctumque terminum, ut latius explicabitur sectione sequenti. In hoc ergo sensu ad argumentum primum negatur consequentia, quia non dicimus Christum ut hominem esse Filium Dei, eo modo quo Verbum est Deus per essentiam, sed eo modo quo in quantum homo est hæres universorum, ratione gratiæ unionis; de qua re dicetur late sectione sequenti, et ibi etiam 3 argumentum dissolvitur.

SECTIO II.

An Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis an adoptivus.

Duo hic possunt et solent inquiri, unum, an Christus simpliciter, aliud, an cum determinatione, *in quantum homo*, possit dici filius Dei adoptivus. Sed quia, exclusa posteriori locutione, a fortiori excludetur prior, et quia id est certum, ut dicam sectione sequenti, et specialem difficultatem non habet, ideo satis erit posteriori modo quæstionem tractare. In qua Durand., in 3, dist. 4, q. 1, et Bassolis ibi, artic. 2, simpliciter concedunt, Christum ut hominem esse filium Dei adoptivum, eamque sententiam censuit probabilem Richard., dist. 10, q. 1, licet in contrariam

magis inclinet. Quo fere modo procedit Scotus ibi, tam in Scriptis quam in Reportatis. Alensis autem, 3 p., q. 8, memb. 3, a. 4, concedit, Christum ut hominem esse filium Dei per creationem et per gratiam; negat tamen esse filium adoptivum. Sed de filiatione omnino metaphorica, quæ est per solam creationem, nihil est quod dicamus, quia illa coincidit cum relatione creaturæ, quæ non est proprie filiatio; et eo modo quo est seu appellatur filiatio, constat non esse adoptivam, sed connaturalem humanitati. Quæstio ergo est de filiatione per gratiam, et de hac loquitur Durand. Cujus fundamentum est, quia gratia Christi est ejusdem rationis cum nostra; sed nos sumus filii adoptivi ratione hujus gratiæ; ergo et Christus in quantum homo. Et confirmatur illo argumento tertio, relicto in sectione præcedenti, quia Christus, in quantum homo, non est Filius naturalis, quia ut sic non est ab æterno genitus; erit ergo adoptivus.

2. *Christus in quantum homo non potest dici filius Dei adoptivus.*—Dicendum tamen est, Christum Dominum, in quantum hominem non posse dici filium adoptivum, sed naturalem Dei. Ita docet D. Thomas hic, et infra, q. 33, artic. 3, et q. 43, a. 1, et l. 4 contra Gent., c. 4; Magist., in 3, d. 4, et d. 10, ubi plura refert Sanctorum testimonia; ibique cæteri Scholastici illum sequuntur. Bonav., Albert., Thom. de Argent., Gab., Major, Palud., d. 4, a. 3, ibidem; Capreol., q. unic., a. 3, ad arg. cont. 3 concl. Probatur ex Scriptura, et Patribus, quorum testimonia ex parte citantur in dicto Concilio, ubi inter alia adducitur illud Matth. 16: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*; et illud Joan. 20: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*. Ubi (ut supra adnotavimus) loquitur Christus in quantum homo; nihilominus non vocat Patrem nostrum, sed distinguit, *Patrem meum Patrem vestrum*, ut indicet se non esse filium adoptivum, sicut nos. Et cætera testimonia, in principio disputationis citata, eodem modo accommodari possunt, præsertim illud ad Hebr. 1: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*. Ubi loquitur de Christo, non tantum ut Deo, sed etiam ut homine, et de nomine filii; cum ergo Angeli sint filii adoptivi, altiori modo Christus ut homo dicitur filius. Præterea Chrysost., seu auctor Imperfecti in Matth., hom. 40, explicans verbum illud: *Reverebuntur Filium meum*, animadvertit, Prophetas